



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

26. Otho III. Imp. Vltraiectinae S. Martini ecclesiae cathedrali an. 999. dat districtum villae Bomelae, & alia praedia; supplicante Aufrido eiusdem vrbis Episcopo. S. Henrici, eo nomine secundi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## CAPVT XXVI.

Otho III. Imp. Vltraiectina S. Martini ecclesie cathedrali an.  
999. dat districtum villa Bomele, & alia pradia;  
supplicante Aufrido eiusdem urbis Episcopo.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otho, superna fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus.

Si locis diuino cultui mancipatis alicuius honoris seu proprietatis supplementum præbere studuerimus, in nostræ animæ & <sup>carnis</sup> felicitate nobis diuinitus remunerari procul dubio credimus.

Quapropter optamus, vt omnibus nostris fidelibus, præsentibus atque futuris, notum sit, qualiter nos, ob remedium animæ nostræ, parentumque nostrorum, nec non interuentu & simplici rogatu Ausfridi, sanctæ Traiectensis ecclesie venerabilis Episcopi, & Franconis reuerendi Præsulis nostri prædictæ sedis Traiectensis, ecclesie in honore S. Martini confessoris constructæ dedimus, largiti sumus, & omnino concessimus omnem distentum super villam Bomele, & super cuncta, quæ ad eandem villam pertinent, videlicet publicæ rei subiecta.

Teloneum verò, monetam, & negotium generale fermentatæ cereuisiæ, & quod vulgo ~~Grutt~~ nuncupatur. <sup>lmmo.</sup> quidquid in iam dicta villa, ad publicum bannum siue districtum pertinere visum est, in Comitatu Hinirongi Comitum, in pago Testerbantia dicto, situm:

Grutt

Atque eundem districtum, cum moneta, banno & teloneo, & totius publicæ rei fruitione, prælibato cœnobio S. Martini confessoris penitus in perpetuum tradidimus.

Insuper sibi donauimus quidquid Poppo, filius Wedigeri, habuit in ministerium in eodem Comitatu. . . . tali ordine, vt præfatus Ausfridus venerabilis Præsul, sui que successores, easdem res per nostram confirmationem traditas teneat, disponat, ordinet & perfruatur, nostra omniumque nostrorum perpetualiter remota contradictione.

Et vt hæc nostræ auctoritatis pagina firma permaneat, hanc manu propria corroborauius, & sigillari præcepimus.

Signum

Signum domini OTHONIS Caesaris inuicti.

Heribertus Cancellarius, vice Willegisi Archiepiscopi, recognoui.

999. Datum II. Idus Aprilis, anno Dominice incarnationis nongentesimo nonagesimo nono, Indictione duodecima, anno tertij Othonis regnantis XVI. imperantis III.

Actum in Romano palatio, felici manu.

### NOTATIONES.

*S. Henrici, conomine secundi Caesaris, stemma.*

Otho III. Imp. in Italia X. Kal. Februarij an. 1001. obiit: eius intestina Augusta Vindelicorum, corpus Aquisgrani est conditum. Ita Contractus, Scafnaburgensis, & ms. Marianus Scotus. Succellit S. Henricus: cuius stemma accipe.

Henricus Rixofus Bavarie Dux, Henrici Aucupis Imp. filius, genuit ex Iuta, Arnoldi Bavarie Ducis filia, Henricum Bavarie Ducem.

Henricus ex Gisela, Conradi Burgundie Ducis filia, sustulit S. Henricum Casarem, & S. Brunonem Episcopum Augustanum: vt Antonius Albicius in Stemmatibus Principum Christianorum tradit. De S. Henrico, eiusque coniuge ac virgine S. Cunigunde in Fastis Belg. differui.

### CAPVT XXVII.

*Radulphus vir nobilis, eiusq; vxor Gisla, Aicuriense Canoniorum XII. collegium in Gallo-Brabantia an. 1036. fundant: quod inde postea Louanium ad S. Iacobi ad eam est translatum.*

**I**N nomine sancte & indiuidue Trinitatis. REINARDVS Leodiensium Pastor indignus, omnibus qui sunt, & qui futuri sunt, in Christo pax & caritas multiplicetur.

Quia bene facta in lucem collocari volunt, vt per ea ad studium boni operis quam plurimi excitentur; sicut Dominus ait, Luceant opera